

qui ex dimidio datam sibi paterna substantia portione custodivit: & inseparabilem cum patre suo vitam agere dilexit.

Quis vero junior qui accepta similiter ex patre substantia, profectus est in longinquam regionem: & profligatis illic omnibus partibus suae facultatibus ad inopiam redactus, porcos alienos pascere coactus est. Sed & qualitatem penitentiae ejus non omittamus, & laetitiae patris promptam remissionem modestamque pietatem, qui revertenti filio discessionis praeterit levitatem: & dissipatae substantiae flagitia non exprobrat: sed venientem clementer suscipit, & occurrens salutem, & gratulans osculatur, incumbens requiescit in eo: & vitulum illum faginatum pro laetitia recepti filii epulandum immolat. In quo compunctus senior frater, dicit patri &c. Haec quae per partes digesta sunt, expositio vestris sensibus intimabit. Necessarium enim est ante omnia percunctari causam, pro qua, & quid volens de propositis Saluator ostendere, hujusmodi parabolas Judaeis aptaverit. Si enim vobis causa talium comparationum patuerit: tunc ea quae de ipsis sentimus, an rationabiliter congruant veritati, facile dignoscitur.

Sunt itaque qui dicunt de duobus filiis istis, seniore angelo esse & archangelos, vel omnem caeli militiam. Minorem vero ponunt hominem, qui in longinqua peregrinatione abiit, quando ad terram de caelis & paradiso cecidit: & aptant quasi scientia respicientis ad casum vel statum Adae. Sed hic sensus pius quidem videtur. Nescio tamen si verus sit. Dicit aliquis: quare? Quia minor filius & junior ad penitentiam venit sua sponte, recordatus praeteritae abundantiae patris sui, sicut habet series lectionis. Dominus autem veniens, ad penitentiam vocavit humanum genus, cum sua sponte regredi unde ceciderat non cogitaret. Deinde senior filius, si chorus est caelestium angelorum, ut praedictum est: quomodo in reditu & salute fratris sui, & in vituli immolatione tristatur? Cum in eodem Evangelio dicat Dominus: Laetitiam esse in caelo apud angelos super uno peccatore penitentiam agente.

Discutiemus ergo hujus parabolae rationem, ut non illum alium intellectum vituperemus, sed magis ut cum sensu illo id quod nos sentimus, vestris judicandis arbitriis conferamus. Jam enim causam exponimus, quam & Domini sermo subjungit: de superiore causa hanc parabolam introducens sicut praefati sumus singularum in his parabolis personarum memoriam facientes. Murmurabant Judaei, & urebantur invidia, quod à Domino nostro Jesu Christo peccatores suscipi, simul etiam convivari, & publicanos libenter doctrinae saluatoris intendere viderant. Ad hanc ergo insolentiam Judaeorum aspiciens Dominus, quia reprehendebatur ab eis: incipit primam de pastore illam parabolam, ubi nonaginta & novem ovibus derelictis, ad unam quae aberraverat, requirendam abiit. Et subnectit huic aliam parabolam de drachma decima, quam perditam intra domum suam accensa lucerna mulier invenit.

Deinde haec de filiis duobus parabola subsequitur, secundum dispensationem, & providentiae divinae ordinem, harum comparationum textum faciens. Nam quia ipse princeps & autor salutis nostrae est, seductum hominem, & dolo diaboli perditum, salvare incipiens & perfectioni restituere: hoc est numero centesimo reddere in quo perfectionis plenitudo numeratur: hinc initium comparationis facit. Subjungit autem & mulieris personam, arguens Judaeos, docens autem Ecclesiam, & hominem quasi erraticam ovem diligens pastor inquirat: quem hominem drachmam nominat, propter monetae regalis similitudinem: figuratiter in drachma quae pecuniae genus est, quod illi tanquam nummo, imago & inscriptio regis caelestis insculpta sit. Querit ergo eam drachmam mulier, accensa lucerna & mundata domo invenit: hoc est, homo illuminatus verbo & misericordia Dei, gloriam naturae suae in qua ad imaginem creatoris sui factus est, quam obscurata peccatis domo cordis, in tenebris cordis amiserat: emendatis sensibus reperit: & gaudio gaudet quod omnem immunditiam interioris aulae, studiis disciplinae specialis absterferit: & contractas animae de rebus & curis secularibus sordes, orationibus & increpationibus expurgatas excusserit.

Secundum praedictum consequenter annectit parabolam, de duobus filiis collationem, ut mihi videor facere: non de Judaeis transgressoribus, nec de gentibus perditis, sed populi ejus, qui per patientiam redditur saluti, quem juniorem fi-

lium nominat. Seth, Enos & his juniore, qui ab Eva usque ad salvatoris humanum adventum, secundum justitiam legis viventes justi videbantur. Ergo quod ait juniorem & seniore, non in ordine temporis, sed in voluptatum qualitate, proponens se ei, qui non voluntarie, sed alieno dolo circumventus aberraverat, sicut ovis, hoc est irrationabili animali imprudentem hominem comparans, sollicitudinem pastoris adhibens: ut quarat ovem perditam, & reporter inventam. Ei vero qui arbitrii sui libertate utitur & recognoscit unde ceciderit, penitentiae & reversionis utilitatem accommodat. Unde haec inter parabolas supra dictas ratio distinctionis est, secundum personas vel mentes peccantium: ut pater filium non requirat peregrinantem, sed recipiat penitentem. Pastor vero ovem errantem, & non sapientem reverti, requirat & humeris suis referat.

Videamus nunc si consonent, quae signficata sunt ad hanc expositionem. Dicit scriptura: Dividere patrem ex aequo filiis duobus substantiam suam. Et quam substantiam hic evangelicus pater dividit filio spirituali, nisi sapientiae intellectum, scientiam boni & mali, quae vera & perpetua sunt opes animae bene viventi? Dat autem hic pater divitias suas ex aequo. Non enim quicumque aut justus, aut peccator nascitur: sed quae ex Deo est, in prima nativitate hominis portio substantiae rationalis, aequaliter cunctis nascentibus datur.

De subsequente autem conversatione unusquisque plus aut minus hujus substantiae possidere invenitur, dum in semetipsum per dissimilitudinem voluntatum negligentes derunt: diligentes autem custodiunt, ut naturalia bona. Alius autem memorat, intelligens Domini Creatoris ea quae à Deo Patre sumperit, ita ut sui ea patris esse credens, quasi paterna custodiat. Alius autem sua ex se sibi esse aestimans, sicut propriae possessionis licentia dissipandis abutitur, & cito profligata facultate privabitur. Describitur autem in istis & evidenter ostenditur libertas arbitrii, quam animae rationali specialiter addidit creator Deus.

Vide ergo, pater iste quomodo nec illum volentem discedere retineat, nec liberi arbitrii auferat potestatem: ne sequens alium manere cupientem cogat abscedere: ne forte sequentium malorum, quae postea his suo vitio acciderent, ipse potius auctor esse videatur, si illis libertatem propriae voluntatis absciderit. Itaque & petenti dat, quia ex nobis, non à Deo inopia & offensionis nostrae causa proficiscitur. Accipiens autem partem suam junior, peregre, inquit, abiit longe. Quod ait longe: non locorum intercaedinem, sed declinationem mentis, expressit. Qui enim oblivionem Dei cepit, hic vere peregrinari à Deo dicitur. Sicut è contra conversatio secularis non solum peregrinum, sed alienum Domino facit. Et ut breviter dicam, peregrinantes à saeculo, praesentemur ad Dominum: sic etiam permanentes in rebus terrenis, à caelestibus exulamus.

Denique Cain exiit à facie Domini & longe efficitur: non quia locus aliquis foris esset à conspectu Dei, sed quod sua mente divisus esset à Domini conspectu, propter homicidium separatus à Deo. Hac ergo peregrinatione per magnam ignorantiam peregrinatos fuisse nos sciens beatissimus Paulus, dicit: Vos qui aliquando longe fuistis, nunc autem facti estis prope. Hujusmodi ergo profectus peregrinationem junior ille filius assumit, & devorat praedictae portiois suae de paterna hereditate substantiam: utique spiritualibus destitutus opibus, id est, providentia Dei & intellectu: cum porcos pascere cogitur, hoc est fordidas & immundas in anima sua cogitationes nutrire, ut ederet escas irrationabiles pravae conversationis: dulces quidem egentibus bonorum, quia suave perverfis videtur omne opus carnae voluptatis: quod seductio desiderii & corruptio vitae est, quae virtutem & fortitudinem animae, non modo nullam praestat, sed totum penitus enervat & perimit. Hujusmodi cibos, quasi porcos & male dulces, prout sunt dilectio carnis, illecebrae, siliquarum nomine scriptura designat.

Itaque ille digressus à patre, & in longinqua peregrinationem profectus, in terra aliena consumptis facultatibus quae supra dictae sunt, omnia digna perperit, & postea malorum suorum necessitate contrictus: hoc est, & fame & egestate, penitet erroris sui: & sentit quid ipse sibi nocuerit, qui non de judicio voluntatis suae, sed de patre ad alienos, de domo ad exilium, de opibus ad eleemosynam, de abundantia ad famem transierit: in hoc loco servitutis & miseriae reminiscens,

incipit cogitare de reditu & secum ipse reputans dicit: Dicam patri meo: Peccavi in caelum & in conspectu tuo, suscipe me, sicut unum de mercenariis tuis. Ostendit scriptura haec, patrem non hominem intelligi debere, sed Deum. Quandoquidem non solum caelum nominat in confessione peccatorum poenitens supplex, sed dicit in conspectu tuo. Deus enim est in conspectu peccatorum omnium solus. A quo nec in corde meditata peccata abscondi possunt. Scrutans, inquit, corda & renes Deus. Verum nobis hoc ex loco, caelum intelligitur Dominus noster Jesus Christus: ad quem hi gentiles qui in tenebris infidelitatis viventes blasphemaverunt, jam conversi ad fidem confitentem veritatem Dei, in penitentia erroris sui justè dicunt: Peccavi in caelum & in te. Qui enim in caelum peccat, quod est supernum sit, tamen visibile & lunaticum est, ipse est qui peccat in hominem quem suscepit Filius Dei pro salute nostra. Proinde in patrem Deum omnia speculante peccat.

Hic igitur cogitatis, respicientem & per confessionis humilitatem ex regione longinqua remeantem filium ad se videns pater, laetatus occurrit, amplectitur & osculatur. Apertè hic charitas in homines divina describitur. Quid enim aliud est, quod occurrit, nisi quia nos peccatis impediuntibus, nostra virtute ad Deum pervenire non poteramus. Ipse autem potens ad invalidos pervenire, descendit: sicut de Zachario operibus ipsis significantibus exprimitur. Quod cum desiderasset videre Dominum, & ob hoc in arbore consensisset, praeviente Domino conspicitur, & vocatur, & illico Dominus in domum ejus ad convivandum ipse declinaturum se esse promittit. Vide quomodo credituri fidem praevidens Christus, latentem in arbore, quasi in peccatorum tenebris obumbratum, sollicite ut ovem perditam requirit aspectu: & venire cunctantem vocat, & venientem tanquam humeris suis suscipit: & non audentis invitare Dominum, desiderantis tamen salutaris benedictionem, peccatoris domum ingreditur: conviviumque participat, ostendens visibili gratia invisibilem sanctificationem, quia Deus sapientia familiariter cor credentis ingreditur. Credentemque participat sacramento: ergo occurrens pater filio revertenti superfunditur collo ejus: & in eo lachrymans requiescit.

Osculatur autem os ejus, per quod emissa de corde confessio poenitentis exierat: quem pater laetus excepit. Deinde mox jubet & stolam primam proferri, id est pristinam gloriam, quam ex seductione diaboli nudatus amiserat, reddi: simul & annulum dari, sive signaculum salutaris symboli, seu magis desponsationis insigne & nuptiarum pignus illarum quibus Christus Ecclesiam suam sponat: cum omnis anima respiciens per annulum fidei jungitur Christo. Mandat & calciamenta pedibus apponi: aut propter communienda vestigia ad currendam viam, ut per lubricum mundi istius iter fixus incedat: aut ut excluso in Evangelicis calciamentis carnae contagionis luto, mundos pedes immaculata conversatione conservet & dirigat: aut propter mortificationem membrorum. Vita enim nostrae cursus in scripturis pes appellatur. Et mortificationis species calciamentum apponitur, quia de animalium mortuorum pellibus conficitur.

Addit & vitulum faginatum jugalandum in convivii exhibitione: sine dubio Dominum nostrum Jesum Christum, quem dedit pater in victimam pro salute nostra: Quem vitulum nominat propter hostiam corporis immaculati. Saginatum autem verè dixit: quia pinguis & opimus intantum est, ut pro totius mundi salute sufficiens sit odorem suavitatis & nidorem immolationis ad Deum mittere, & pro omnibus exorare. Propter quod etiam mystica ratione dictum est, patrem dare aliis immolandum hunc vitulum, ipsumque gaudere, & epulari in victima vituli sui. Sic enim dilexit pater hunc mundum, ut filium ejus unicum pro salute sua daret.

Non ergo ipse immolavit, sed aliis immolandum tradidit: emittente enim patre, consentiens filius ab hominibus passus est. Ipse autem qui fide nostra pascitur: & filii sui pro nobis immolatione letatur & gaudet: & in reditu filii sui gaudens creator, acquisitione populi credentis epulatur. Videns hinc laetitiam patris senior filius contristatur. Hujus persona illis comparanda ascribitur operariis, qui similiter in Evangelio post operationem vineae ad Dominum murmurant, quod illis tota die in operibus labore confectis: illos qui ad duodecimam horam venerant, precio mercedis aequallet: ad quos dicit ipse conditor omnium? Si ergo ego bonus sum, quid tu malus? Quod

autem hi sunt qui ad duodecimam venientes qui ex gentibus salvabuntur, Joannes aperte clamat: Filioli novissima hora est.

Nihil autem differre videtur utrum duodecima, an novissima hora dicatur. Qui sunt autem hi qui murmurant, qui laborem & aestum toto die portaverunt: nisi qui justitias legis egerunt, & servitutis antiquae pensum reddiderunt? Vide autem quam aperta sint verba quae à patre dicuntur: ut ab his qui in lege vixerunt dicta videantur. Quid enim est quod de agro veniens dicit: Nisi significans de legis operibus venientem, & in his gloriantem: & quasi diuturnos labores imputantem. Unde ait: Mandatum tuum nunquam praerivi: & non dedisti haedum pro me, ut epularer: hoc est, nec peccatorem pro nostra requie dedisti. Qui enim, inquit, fecerit quae legis sunt, vivet in eis: qui non fecerit, punietur ex ipsis.

Pro isto autem qui fornicatus est, etiam faginatum, inquit, illum vitulum dedisti: id est, filium tuum dilectum: sicut supra diximus. Sed quid ei respondet pater? Tu semper mecum es, oportuit autem pro isto gratulari qui perierat & inventus est: mortuus fuerat, & revixit. Ostendens in hoc verbo manifestè hominem, qui peccando vita exciderit, & obnoxius mortificatus fuerit, ex reversione autem salutari per penitentiam in adoptionem filii redierit. Bonum autem hominem, qui manserit in bono, hereditatem paternam jugiter possidere. Itaque si peccaveris homo, festina liberando te reconciliari Deo: ut ex mercede sudoris & digna penitentia, recipias quod ex gratia donatum tibi perdidisti. Praestet autem Deus magis permanentes vos in fide coheredes esse Domini nostri Jesu Christi: quia ipse est gloria & virtus, cum Patre & Filio & Spiritu sancto, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Prima seriei secundi Tomi finis.

ERASMUS ROTERODAMUS PIO
lectori S. D.

In hanc secundam hujus tomi seriei segregavimus aliena quadam, sed tamen suis praenotata titulis. Idque fecimus: quod partim non viderentur quidquam ad ea quae divus Hieronymus scripsit pertinere, velut opus Augustini de origine animarum: partim quod verba sua viderentur, quam ut bis emendandum esse lectorem putavimus: velut illa quae magnis voluminibus Rufinus deblatterat in sanctum Hieronymum: prorsus indigna quae servarentur, nisi ex his paulo clarius intelligeretur eloquentissimi doctoris Apologia. Bene vale.

SECUNDI TOMI SECUNDA SERIES,
in qua aliena suis titulis continentur. Paulinus
Sebastianus Emerita.

SANCTO & merito dilectissimo fratri Sebastiano: Paulinus & Therasia in Christo Domino salutem.

Benedictus est Dominus Deus Israel qui elegit te, & assumptus in vas electionis suae, & segregavit ab utero matris antiquae, & dedit tibi pennas columbae: ut ab hujus saeculi strepitu procul avolans diceres: Ecce volavi fugiens, & mansi in solitudine. Quamvis tua solitudo non sola sit: quae non deserta est, sed secreta: & ab hujus mundi tenebris desolata, à Dei lumine frequentetur: & à demonibus furentibus fugiatur, atque ab angelis gaudentibus excolatur. ipse Dominus Deus noster donavit nobis, licet longo intervallo distantibus, appropinquare tibi in dilectione per odorem bonum notitiae tuae, quam per fratrem in Domino charissimum Victorem accepimus: qui nobis & opus propositi tui, & secretum tabernaculi nunciavit, quia veterum sanctorum strenuus emulor, super torrentem tibi gratissimum: sicut illi quondam filii Prophetarum Eliseo duce super Jordanem, pacificam mansionem & spiritualia castra posuisses: & diaconus tibi frater Benedictus Sareptanus illius Sunamitidis obsequio ministraret. Beatus ille cui mandavit Dominus, sicut uni volatilium caeli, ut te sicut Eliam ad torrentem secreto sedentem, panibus pietatis pasceret: & ad cellulam tuam assiduis super hac ministracione vestigiis, velut ad arcam Noë fructiferum pii germinis ramum afferens columba revolveret.

Benedicti vos à Domino, qui facit unius moris habitare in domo: & qui germanitatis vinculum duplicavit in vobis; quos & in Ecclesia utero fratres fecit: & sub una fide, variis distinctis officiis: ut sub diverso munere alter alterum pasceretis. Tu illum spiritualibus armis jejuniis & orans juvares: & ille in te coelestia sibi bona fereret, dum carnalia tibi alimenta suppeditat: non indigenti quidem pereuntis esca sumptu: quia fames tua iustitiam & regnum Dei esurit. Sed tamen idem Dominus, qui fecit quod intus est, fecit & quod foris est. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Ideo viventem licet animam in verbo Dei quod est Christus, qui verus & vivus panis est, tali remuneratur obsequio: ut corpori tuo, id est, terrenae in te fragilitati serviat cibis modicis: & ipse jejuniorum tuorum abundantia faginetur. Ideo enim dixit: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. Quia ut infirmioris substantiae nostrae ratione esurire habuit, proinde & carni panem necessarium ipse creator ostendit. Sed ne corporis curam, animae praepareremus, quae verbo Dei pascitur: non in solo pane (vitam hominis constare monstravit: atque ideo cum dixit: Non in solo pane, etiam in pane victum hominis constitutum docuit: quem etsi animae cura non quaerat, tamen corporis natura deposcit.

Ideo benedictus ille, cui ad opes animae proficit necessitas conditionis tuae. Quia adhuc homo, & isto visibili pane pascendus es: etsi interius aeterno illo pane fatureris. Non enim proficeret spiritualis virtus, nisi subesseret carnalis infirmitas. Nec esset potens fidelium ministratio, nisi materiam ministrandi plerumque inopia fraterna praepareret. Unde & Apostolus ait in sanctos compensationem futuram, cum Ecclesiam Dei ad consolationem istius benedictionis hortatur, & dicit: Abundantia vestra sit ad illorum inopiam. Et ut illorum abundantia vestra inopiae supplementum fiat: adhuc audeo dicere, in utroque vestrum diversa Joannis & Domini forma consistit, Joannis in deserto vox clamantis: & Domini in templo docentis. Et unus vestrum in servitute ministerii vocatus est: alter in monachi libertatem, Sed utriusque in unum Dei regnum & gloriam convocati: & ambo liberi, quia ambo sub gratia: & ambo servi, quia ambo sub lege fidei. Ambo liberi à peccato, & ambo servi iustitiae, & ambo in jejuniis Domino diem sapitis, & ambo in epulis sinceritatis Domino gratias agitis, qui dat escam omni carni: & dat escam vivam esurientibus veram vitam. Unus vestrum audivit ut dicat: Introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat juventutem meam. Et alter ab eodem Propheta didicit dicere, Singulariter ego sum donec transeam.

Ergo quia sic electi estis & dilecti Domino, ut alter alterius onera portetis, & charitate perfecta qua invicem vos pascitis, sustinetis, instruitis, locupletatis, adimpletis legem Christi: orate pro nobis, conferite validas orationum manus: ut supereritis multitudinem peccatorum nostrorum. Ob hoc enim misericors & miserator Dominus, peccatoribus suis sanctorum notitiam charitatemque procurat & donat: ut etiam inexcusabiles reos praepotens advocatio meritis damnationis absolvat. Maneatis in regno Domini: quod intra vos fecit esse per inhabitantem in vobis arrabonem Spiritus sancti, in quo clamatis, Abba pater. Benedicti Domini Filii pietatis & pacis & luminis.

IN APOLOGIAM PAMPHILI PRO Origene Ruffini ad Macarium prooemium.

COGNOSCENDAE veritatis amore permotus o vir desideriorum Macari, injungis mihi rem quae tibi agnita veritatis gratiam conferat: mihi tamen non dubito quin offensam maximam comparet, eorum qui se laesos putant, ab eo qui de Origene non aliquid male senserit.

Et quamvis non meam de eo sententiam, sed sancti maris Pamphili scienciam sis, & librum ejus quem pro Origene in Graeco scripsisse traditur, transferri tibi poposceris in Latinum: tamen non dubito futuros, qui & in eo laesos se putent, si nos aliquid pro eo vel alieno sermone dicamus. Quos tamen & ipsos deprecamur, nihil praesumpto vel praedictato animo agere: sed quoniam ad iudicium Dei venturi sumus, non refugiant scire quod verum est: ne forte ignorantes delinquant: considerantes quia falsis criminationibus percutere fratrum infirmorum conscientias, in Christum peccare est. Et ideo non accommodent criminatorem aures suam: nec ab

alio discant alterius fidem: maxime cum coram experiri sit copia: & oris sui confessio, quid vel qualiter uniusquisque credat ostendat. Sic enim scriptum est: Quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: & ex verbis suis uniusquisque iustificabitur, & ex verbis suis condemnabitur.

Qualiter ergo sentiat Origenes de singulis, tenor libelli huius edoceat. De his autem quae apud eum contraria sibi inveniuntur, quid causa sit, in ultimo brevi addita assertionem docuimus. Nos autem sicut traditum nobis est à sanctis patribus, retinemus, quod sancta Trinitas coaeterna sit & unius naturae, uniusque virtutis atque substantiae: & quod Filius Dei in novissimo tempore homo factus est, & pro peccatis nostris passus est: & in ea ipsa carne, in qua passus est, resurrexit à mortuis: propter quod & resurrectionis spem humano generi tribuit. Carnis vero resurrectionem non per aliquas praestigias, sicut nonnulli calumniantur dicimus: sed hanc ipsam carnem, in qua nunc vivimus, resurrectionem credimus, non aliam pro alia, nec corpus aliud quam huius carnis dicimus. Sive ergo corpus resurrectionem dicimus, secundum Apostolum dicimus: hoc enim nomine usus est ille: sive carnem dicimus, secundum traditionem symboli confitemur. Stulta enim adinventio calumnia est, corpus humanum aliud putare esse quam carnem.

Sive ergo caro secundum communem fidem, sive corpus secundum Apostolum dicitur quod resurget: ita credendum est sicut Apostolus definit: quia quod resurget in virtute, resurget & in gloria, & incorruptibile resurget & spirituale corpus: quia corruptio in corruptionem non possidebit. Salvis ergo his praerogativis futuri corporis vel carnis: resurrectio carnis credenda est integrè atque perfectè: ut & natura carnis eadem servetur: & incorrupti ac spiritualis corporis status & gloria non infringatur. Sic enim scriptum est: Haec in Hierosolymis in Ecclesia Dei à sancto sacerdote ejus Joanne praedicantur: haec nos cum ipso & dicimus & tenemus.

Si quis praeter haec vel credit vel docet, vel à nobis aliter credi quam exposuimus putat: anathema sit. Nostra ergo fidei documentum, si quis habere vult, habeat ex his: siquidem aut legimus, aut huius fidei nostrae facimus rationem, secundum Apostolum probantes omnia, quod bonum est tenentes, ab omni specie mala nos abstinentes. Et si qui hanc regulam sequuntur: pax super illos & super Israel Dei: Amen.

APOLOGIA PAMPHILI MARTYRIS pro Origene, interprete Ruffino.

NIHL mirum fratres videmini esse perpepsi quod ita vos Origenes subterfugit intellectus: ut vos quoque aeternitatis de illo quae & alii nonnulli: qui sive per imperitiam sui, quia non valent sensus ejus altitudinem contueri: sive pravitate mentis, qua studium gerunt: non solum dicta ejus incusare: verum etiam adversus eos qui haec legunt hostiles inimicitias sumere: tam pertinaciter id agentes ut nulla profusus venia eos dignos haberi putent: ne ea quidem quae impartiti solet, verbi gratia, his qui Graecorum secularium libros, vel nonnumquam etiam haereticorum percunctandi atque cognoscendi studio decurrunt: sibi solis scilicet concedi debere peritiam probandi sermonis putant, ut si quid bene ab aliquo dictum est retinere sciant: ab omni specie mala abstinere se noverint. Ab his vero qui Origene libros legunt, istud penitus exclusum putant esse mandatum: quo probabiles jubentur effici trapezite, scientes quod bonum est retinere: ab omni autem specie mala se abstinere: sed tantummodo si legere libros illius visus fuerit, statim ab his haereticorum perfundatur infamia. Denique cum multis huius vitae & religiosi proposito viris, in quibus nihil profusus culpae invenitur, inimicitias propter hoc solum habent, si eorum studia circa memorati viri libros propensus esse perspexerint: invidiosus etiam ista fingentes, quod ab his in locos sanctorum Apolorum vel Prophetarum tam ipse quam dicta ejus habeantur.

Sed de hoc certum non habeo, utrum calumniandi voto tantummodo ista jactent: an & verè ab aliquibus simplicioribus & propensiori affectu diligentibus virum, aliquando fortassis tale aliquid audierint. Nos tamen perpepsi frequenter his quae ab eo cum magno timore Dei, & cum omni humilitate dicuntur: cum veniam peti pro his quae per

nimiam discussionem & per multam scrutationem scripturarum animo disputantis occurrunt: quae cum exponit, frequenter addere solet & profiteri, se non haec quasi definitiva pronuntiare sententia, nec statuto dogmate terminare: sed inquirere pro viribus & sensum discutere scripturarum: nec tamen profiteri quod integre perfectèque comprehenderit, suspicari magis se de quampulcris dicens, nec tamen certum esse, quia in omnibus quod perfectum est & integrum assecutus sit.

Sed & nonnumquam invenimus eum de multis haeresibus profitentem, in quibus ea quidem quae in quaestione veniunt movet: nec tamen absolutiones eorum adjungit: sed cum omni humilitate & veritate non erubescit fateri sibi non liquere. Audivimus etiam illud ab eo frequenter intexi: quod hodie ne quidem isti imperitissimi omnium obrectatores ejus dicere dedignantur: ut si quis melius de his locis qui ille differunt dixerit vel exposuerit: illi potius qui rectius dixerit quam sibi esse aulcandum.

Præterea comprehendimus eum nonnumquam diversas expositiones eisdem capitulis facere, & cum omni reverentia, quasi qui sciat se de sanctis Scripturis dicere, cum multa quae sibi occurrunt exposuerit, praecipit his qui legunt probare de singulis quae dixerit: & quod rectius prudens lector judicaverit, obtinere: profecto quia nec ipsum latebat, quod non omnia quae moverat vel discusserat, probabilia vel fixa haberi deberent: pro eo quod multa mystica in Scripturis sanctis, & in secreto recondita esse credantur. Illud denique ejus si intentius advertamus quam integrè & catholicè de omnibus tractatibus suis in praefatione eorum librorum quos in Genesim scribit, proteclatus est: omnem ejus sensum ex hoc facile cognoscemus.

ORIGENES. Nisi omnimodo pigri essemus ac desides: ne ad inquirendum quidem accedere Domino & salvatore nostro ad hoc nos provocante, profecto revocassemus pedem: considerantes quod longe sumus ab ea magnitudine spiritualis intelligentiae, quae de tam magnis rebus investigari debeat intellectus.

PAMPHILUS. Et paulo post ait. **ORIGENES.** Si cui vero in disceptatione profundum aliquid occurrerit: de hoc quidem dicendum est: sed non cum omni affirmatione. Hoc enim aut temerarius hominis est, ejus qui sensum humanae infirmitatis perdidit, oblitusque sui sit: aut certe perfectiorum virorum & eorum qui confidenter se sciant ab ipso Domino Jesu didicisse, id est, à verbo veritatis & ab ipsa sapientia per quam omnia facta sunt agnovisse: vel eorum qui divina responsa ingressi, turbinem & caliginem, ubi ipse Deus est, caelitus acceperunt: in quod vix ille Moyses ingressus, vel intelligere talia potuit, vel proficere. Nos vero pro eo solo quod mediocriter liget, credimus tamen Domino Jesu, & ejus gloriamur esse discipuli: nec tamen audeamus dicere: quod facie ad faciem ab ipso traditam susceperimus intelligentiam eorum quae divinis libris referuntur: quae quidem certum sum quod ne ipse quidem mundus pro virtute ac majestate sensuum capere potest. Propter quod pronuntiare quidem de his quae dicimus sicut Apostoli poterunt, non audeamus. In eo autem gratias agimus, quod cum multi imperitiam suam nesciant, & motus suos incompósitos & inordinatos, interdum etiam & ineptos ac fabulosos cum omni intentione, sicut sibi videntur, quasi verissima assertionem annunciant: nos de rebus magnis, & his quae supra nos sunt ignorantiam nostri non ignoramus.

PAMPHILUS. Cum ergo haec cum de se dicere audiamus, & hujuscemodi mente ac voto quae dicit, asserere: miramur in tantum temeritatis aliquos esse provectos: ut qui se ita humiliat & judicat, astruant quod ab aliis dicta ejus, vel libri pro sermonibus Apostolicis, vel dictis Prophetis habeantur: aut quod ille ipse, vel Prophetis, vel Apostolicis ab aliquo comparetur. Et quidem quod & honore presbyterii in Ecclesia praeditus fuerit, & vitam abstinentissimam egerit, & valde philosophicam: quodque purae religionis observaverit disciplinam: & praeter ceteris verbo Dei & doctrinae operam dederit, dubium non est & ex his quae ad nos laboris ac studii ejus certissima designantur indicia: praecipue vero per eos tractatus quos penè quotidie in Ecclesia habebat ex tempore: quos & describentes notarii, ad monumentum posteritatis tradebant.

Consequens igitur erat ex his omnibus, laborum & studiorum suorum testimoniis amplecti talem virum: & neque de-

ensionis studio plus dare ei meriti, quam mensura deposcit: neque rursus obrectandi vitio facile condemnare, & alienum ab Ecclesiastica doctrina temere pronuntiare: cum utrumque istud praecipitum providens ante divinus sermo prohiberit, dicens: Non sit in te mensura major, neque mensura minor: abominabile est enim in conspectu Domini utrumque. Uniuscuique enim prout dignum est retribuere, iustitiae proprium est. Propter quod & mensura integra & pondus aequale, & acceptabile est apud Deum: non hoc quod mentitur veritatem: per quod vel plus donatur rebus quam merita deposcunt, vel subtrahitur meritis quod debetur.

Quanto rectius agerent obrectatores isti, si absque illa animi praevisione cum omni religione veritatis, quam omnibus proximis nostris cum charitate jubemus expendere: intelligerent & ipsum unum de proximis esse, quibus charitatem ex mandato debemus: & assumptos libros ejus legerent, cum ea venia quam ipse in praefationibus suis deposcit: sicut venia dignum aliquid invenirent. Nunc vero è contrario videas eos maledictis quidem probrisque non parere: eos vero qui scripturarum intelligendarum secundum mandatum Domini, & salvatoris nostri studium gerunt, à lectione librorum ejus deterere, quaelibet alia etiam incepta, nihil profutura quam illius commentarios legi debere affirmantes. In quibus saepe etiam ridiculi aliquid pati solent. Nam ut eorum contentiosa praesumptio, vel ut verius dicam praedicatoris vesania, facilius declaretur: accidere solet vel casu, vel interdum studio: ut nomine in codice non praerulato, legatur aliquid ipsius in auribus obrectatorum, quasi alterius tractatoris. Quod tam diu placet & laudatur atque omni admiratione habetur, quamdiu nomen non fuerit indicatum. At ubi Origene cognita fuerint esse, quae placebant, statim displicent, statim haeretica esse dicuntur: & ea quae paulo ante ad caelum usque ferebantur, iisdem vocibus, eademque lingua usque ad inferos demerguntur.

Præterea etiam illud est invenire, quod nonnumquam tales sunt accusatores ejus, qui nec Graecam noverint linguam: alii omnimodis imperiti, nonnulli etiam si aliquid videntur habere peritiae, non tamen etiam id studii habuisse inveniuntur, ut libris ejus operam dederint: aut si acciderit ut etiam legerint: non continuo etiam tantae eruditionis fuerint, ut altitudinem sensus ejus assequi quiverint: quo ea quae ille diverso prospectu pro locis & causis differere solet, advertere voluerint. Multos invenies, quos si interroges in quibus libris, aut in quibus locis dicta sint haec quae arguunt: confitentur se quidem nescire ea de quibus affirmat, nec legisse unquam: audisse autem alios dicentes.

Ex quo cuius plena ridiculi sententia eorum videbitur: cum de his iudicant atque ea condemnant, quae nec discere quidem prius aut nosse potuerunt. In alios vero novi furoris morbus & inaudita cladis incessit infamia: cum tam multa ejus volumina referat totius utilitatis & instructionis habeantur: & satis rara & perpauca forte loca sint, in quibus vel imperitiores quique, vel quod melius malivoli posse sibi videantur offendi: omnia quidem illa quae & catholica & ad edificationem animae atque sententiae instructionem etiam ipsi apta fatentur, omittunt & negligunt: nec aliquid inde, unde possunt & debent proficere volunt: ea vero sola quae ad calumniam proficiant, summo studio ediscunt, ut qui boni nihil unquam forte didicerint, haec quae ipsi non esse bona dicunt, apprimè memoriae retinenda commendant: quo videlicet promptius ea proferentes, exercitatus valeant concinnare calumnias.

Aliud quoque est genus hominum scdam sane & turpe, quantum ad probitatem pertinet morum, sed ad calumniandum vehementius & tetrius ad incusandum, quos Graeci *κατακλιμακτορες* appellaverunt, qui summum quidem studium, sed & satis intentam operam libris ejus dederunt: ita ut & magistro eo in omnibus uterentur, & se ei tanquam speciales discipulos manciparent. Sed ubi ad id loci ventum est, ut jam se magistros malint quam discipulos nominari, ubi auditorii plausus sectari coeptus est: ibi si forte aliquis audientium, quae laudantur Origene esse obmurmuraverit: ne vel laude cedatur magistro, vel culpae iudicio, alienum esse Origene continuo protestantur: nihil sibi cum illius doctrina commune esse confirmant.

Anathema quoque cum dicere non dubitant improbe, & inferre maledicta non parant: ne illum quidem Apostolicum sermonem verentes, quo designat: Quia maledicti regnum